



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||**

**Erasmus, Desiderius**

**Basileae, 1518**

**VD16 E 3644**

Dionis Cassii Nicaei Traianvs Nerva. Georgio Mervla Alexandrino  
Interprete.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14277**



DIONIS CASSII NICAENI

TRAIANVS NERVA

GEORGIO MERVLA ALEXANDRINO INTERPRETE.



**T**RAIANVS antequam imperium adipisceretur, per quietem uidit seniore[m] quendam in tunica & praetexta purpurea, cum corona, qua specie pingi senatores solent, qui signum anulo nunc in sinistrum iugulum, ac deinde in dextrum imprimeret. Vbi uero imperium assumpsit, edicta quaedam ad senatum misit, atque illud in primis, nunquam suo iussu bonum uirum occisum iri, aut ignominia notari: id quod non solum in praesens sacramento confirmauit, sed per totum imperij tempus inuiolatum seruauit. Mox Aelianum & Praetorianas cohortes, quae seditionem aduersus Neruam fecerant, quasi operam ab eis posceret, ad se uocauit, confestimque uelut importunos dimisit. Romam deinde regressus multa in emendationem publicorum negotiorum, & beneficium bonorum, quos differentius amplexabatur, constituit. In puerorum alimenta, in Italia duntaxat, multa largitus est. Ceterum Plotina uxor palatium ascendens, ex gradibus ad populum conuersa. Talis, inquit, huc ingredior qualem etiam egredi opto. quae modeste & sancte in summa potestate ita se gessit, ut de ea nullus iure conueniri potuerit. Sed Traianus tantisper Romae commoratus est, dum expeditionem in Dacos parauit. Quae enim illi agerent & molirentur, subinde reputans, indigne ferebat, annua tributa dependi, unde uires & opes magis augeri, animique ad maiora erigerentur. Ergo Decebalus rex cum arma comparari in se audiret, extimuit. quippe qui nouerat antea Domitianum, non Romanum populum, uictum, tunc aduersus Romanos, & Traianum Imperatorem decertandum fore. Cui integrae ac solidae uires, robustum corpus, animi uigor, mores generosi ac simplices superessent. Secundum enim & quadragesimum annum agebat, cum primum imperare coepit. In qua aetate ita ei omnia suppetebant, ut neque per iuuentutem quicquam stulte ac temere aggrediretur: neque item per senectutem languescente corpore segnus ac timidus, a magnis rebus retar-

Senatorum ornatus.

Somnii sua celsa fides.

Aelianus ab exercitu a motus.

Plotina uxor Traianus

Traianus in Dacos.

Domitianus a Dacis superatus, Traiani laus.

Traiani aetas in qua summi sunt imperii.

p 2 daretur

Laudes in  
principe  
summa.

Traian<sup>9</sup> aedi  
ficandi studi  
osus.

Traiani mo/  
res.

Traiani co/  
mitas.

Decebalus  
rex Dacor<sup>9</sup>.

Buri populi.

Als<sup>1</sup> i faucia/  
tis.

Dacorum re/  
gia capta.

Decebalus  
a Traiano  
pacē petit.

daretur. Nullus praeterea in eo liuor, nulla malignitas: neminem omnino perdere studuit. Contra uero, bonos & studiosos uiros, honoribus & dignitate auxit. Quapropter timori aut odio nulli erat. Delatoribus operam non dabat. Ira ita moderabatur, ut nunquam ab ea uinceretur. Ab aliena pecunia, & iniustis caedibus, iuxta abstinuit. Plurimum in gerendis bellis pecuniae impendebat. Non minore tamen liberalitate & impensa, segnius ac animo ornamenta patris amplexus est. Copula & ualde quidem necessaria aedificari curauit, ut portus & aedes publicas. Vias ite muniuit: in quibus faciendis, fortunas aut sanguinem alicuius nunquam absumpsit. Natura magnificus & gloriae appetens erat. Circum collapsum, amplio rem atque etiam elegantio rem restituit. Quod ideo se fecisse inscripsit, ut populū Romanum capere posset. Amari & obseruari quam timeri malebat. Cum populo benignus & mansuetus. Senatū iucunde & honorifice appellabat. Sic dilectus & charus ciuibus, Hosti dumtaxat formidolosus. Venationes praeterea, conuiuia, seria, & iocos frequenter cum amicis ac familiaribus exercebat. In quorum domos saepius uix quatuor comitantibus, etiam sine satellite diuertebat: & familiarius cum his recumbens, quiescebat. Eloquentiae & diligentis alicuius eruditionis expers fuit. Munera tamen facundi & non indocti hominis pulcherrime obibat. Nihilque omnino erat quod optime non exerceret. Vini dumtaxat appetens, & in adulescentulos pronus, citra calumniam habitus est: utpote qui nunquam ex eo turpe aut mali quicquam effecit. Nam qui uinum usque ad satietatem biberet, sobrius tamen erat: neque in crimē praegravate uino propulsus est. Et in masculorum amoribus, ita sibi temperauit, ut nihil per uim dum uoluptati obsequitur moliret. Belli haecenus audis & studiosus, ut acceptas dades emendaret, hostes exultanteis compesceret, impetusque reprimeret: & si qui rebellassent, eos armis ad obsequium compelleret. In augenda re familiari moderatus. Militarem etiam disciplinam, tum seueram, tum remisse exercuit. Quare milites, id quod saepe antea contingerat, nunquam aut contumaces aduersus imperia, aut elati atque superbi fuere. Igitur imperatorem iure Decebalus rex, ante per ignominiam & metum Domitiani ferocior, magnopere reueritus est. Caterum cum in Dacos exercitum Traianus duceret, antequam castris hostium appropinquaret, magnus circumferebatur a barbaris fungus, latinis inscriptus literis, erantque qui talia uociferarentur, Socias gentes & Bueros praecipue, monere & hortari Traianum ut pace composita retro domum abiret. Nihilominus, is cum hoste conflixit ingenti aedita caede. Cum uulneribus ligamenta suis deessent, propriae uesti non pepercit: quam in lacinias conscissam seuitijs partitus est. Militibus qui in ea pugna cederant, aras constitui, & annua parentalia peragi uoluit. In iuga deinde montium contendit, & iugum ex iugo captans, ad Dacorum regiam euasit. Hostes ex altera parte Lutius praefectus adortus est, qui continuo terga dedere. Cecidere item in eo certamine permulti, complures capti. Qua iactura percussus Decebalus, confestim primores Pilatorum legatos delegit, atque ad Traianum misit

misit, qui dicerent regem ad quasunque pacis conditiones uenturum, & quæ imperata foret, haud grauate facturum. Tunc Traianus arma & bellica instrumenta, machinas præterea, eorumque artifices sibi tradi postulauit. Transfugas item omnes, & qui ad Dacos profugissent, siue Romani siue socij fuissent, remitti mandauit: atque ut castella & arces deductis præsijs euerteret, omni præterea terra decederet, quam de finitimis per uim cepisset, eos denique amicos & inimicos haberet quos senatus censuisset. Quibus conditionibus, & si inuitus, assensus tamen Decebalus fuit. Mox ad Traianum deductus, illum humi procumbens suppliciter adorauit. His confectis Traianus in Italiam reuenit. Legatos Decebali quos secum duxerat, in urbem præmisit: qui in senatum introducti, depositis armis, manibusque in seruilem morem porrectis, cum multa supplices dixissent, ratificata per senatum pace, quam Traianus regi dederat, arma resumpserunt. Romam deinde Traianus ingreditur, & ex eo Dacicus appellari cepit. Tum in theatrum gladiatores inducit: in certamen compositi sunt: his enim magnopere delectabatur. Mimi adhuc & saltatores inducti fuere: è quibus unum cui Pylade nomen erat, præ cæteris dilexit. Sed in tanto bellorum studio & gloria cupidine, armorumque cura, res urbanas nunquam deseruit. Ciuiliamque negotia non minus intente administrabat. Si quidem studio pugnae à iure dicendo nunquam auocatus fuit. In Augusti foro, nunc in porticu Liuiæ, & sæpissime alibi pro tribunali litigantes, audiuit, iudiciaque reddidit. Interea nunciatur Decebalum præter conuentiones & fœdera, multa ad rebellionem spectantia parare ac facere, quippe arma fabricare, transfugas recipere, munitiones & castella instaurare, uicinas gentes missis legationibus ad bellum sollicitare: his potissimum infestus, qui secum coniurare noluisent. Iamque lazicum agri partem inuasent: quam Traianus uictor illis repetentibus minime restituere deinde uoluit. Ob hæc iterum hostis à Senatu iudicatur. Bellum Traianus suscepit: quod tandem sine alterius ducis opera confecit. Cæterum Decebalus longe uiribus impar: nam si acie dimicare oportuisset, se facile uinci cognoscebat, ad dolos & fraudes conuertitur: parumque absuit quin per insidias Traianum tollerent. In Misiam delectos perfugas mittit, qui illum per speciem colloquij confoderent. Simpliciter & ex bona fide Traianus omnia gerebat, utpote qui se facile sine metu periculi aduentibus præberet: quare cum sibi parum caueret, facile existimabant illum per insidias excipi posse. Sed rem mandatam peragere latrones nequiuerunt: siquidem unus eorum latrocinij suspectus, per tormenta continuo consilia facinoris aperuit. Ergo cum insidia non processissent, Longinum quem in prælijs haud impigrum ducem expertus fuerat, in colloquium uocat, persuadetque ut propius accedat, quasi quæ Traianus imperaret sine mora facturum esset. Appropinquantem comprehendi iussit, atque propalam quæ forent Traiani consilia exquisiuit. Mox nihil omnino fatentem, in libera custodia tenuit. Interea Traianum per literas monet, se non aliter Longinum è uinculis emissurum, nisi sibi ignosceret, pacemque reconciliaret. Ad hæc Traianus

Pacis con/  
ditiones De  
cebalus datæ.

Dacicus un  
de Traianus.

Pylades Hi  
strio.

Fori Augu  
sti.

Decebalus  
rebellat.

laziges.

Decebalus  
doli.

Traianus sim  
pliciter & bo  
na fide omnia  
gerebat.

Longinus Tra  
iani legatus.

Portic  
Liuiæ.

nus media quædam respondit, ostenditque se non tanti facere Longini salu-  
 tem, ut belli & pacis momenta in eo ponerentur. Decebalus, & si iratus, ani-  
 mum tamen aliquantulum compressit, neque ad eadem Longini statim pro-  
 rûpit. Verum Longinus cum se obseruari uideret, & sapius quidnam rerum  
 ageret exquiri, ebibito ueneno, cuius tunc copia supererat, seipsum intere-  
 mit. Per ea tempora Traianus lapideum pontem in Istro fecit, opus sanè mi-  
 randum & maxime memorabile: cui cætera illius opera uix adæquare possis.  
 Viginti stant ex quadrato lapide pilæ, quarum altitudo centum & quinquaginta  
 pedum præter fundamenta habetur. Latitudo sexaginta pedes continet.  
 distant inter se centum & septuaginta pedibus, fornicibus uero coniun-  
 guntur. Impensa profecto ingens, & uix credibilis. Sed illud mirari conue-  
 nit, qua nam ratione & quibus uiribus, quoue artificio in illa gurgitum alti-  
 tudine tamque præcipiti fluuio, tum singulæ columnæ extrui ualuerint, tan-  
 tarum molum fundamenta stabiliri. Vada præterea limosa erant: neque  
 amnis aliò auerti poterat. Quanta uero altitudo sit aquæ, & quàm late pa-  
 teat amnis, haud equidem enarrauerim. Diffunditur per ea loca spatiosus,  
 atque interim imbrium mole concitatus, ripas longius summouet. alibi ue-  
 ro duplo atque interim triplo priore sui parte maior, aut restagnat, aut de-  
 fluit. Qua uero arctatur, uorticofus & ferox, ædificia & pontes non patitur: &  
 rursum liberatus angustijs, in pelagi formam totus expatiatur: iterumque coit,  
 quasi retentus profundior, & rapidus fertur. Arduum igitur & maxime labo-  
 riosum fuit, in ea fluminis parte pontem ædificare. Ex hoc sanè ingens Traia-  
 ni animus arguitur, atque adeo magis, quod nullum commeandi usum pons  
 præbebat. Pilæ etiamnum extant ceu in ostentationem potentia & Cæsaris  
 opum fabricata, simul etiam ut posteris testatum maneret, nihil esse quod ho-  
 minum manu, & opibus Romani imperij effici non posset. Ponte Danubium  
 ideo Traianus cõiungere uoluit, ut expeditius, uel conglaciato amne præsidia  
 facultas transeundi foret, quoties Romani qui trans Danubium agerent à Bar-  
 baris bello & armis uexarentur. Ergo uel astricto frigoribus fluuio, cum res de-  
 posceret, commeare licebat. Cæterum contraria ratio Adrianum mouit. Si qui-  
 dem is ueritus ne pulso Romano præsidio, aut oppressis legionibus, feræ & in-  
 domitæ gentes factò aditu ea loca inuaderent, quæ cis Danubiũ sunt, Misiam  
 q; subinde popularentur, structuras & fornices quantæ super aquam emine-  
 bant, demoliri iussit. Traianus uero ponte Istrum transgressus, bellum magis  
 pro fiducia uirium, quàm pro studio aut industria gerens, illic commoratus, Da-  
 cos tandem subegit, atque in debellando hoste, multa egregij ducis & fortis ui-  
 ri opera ædidit. Complures militum pericula intrepidi adiere. pugnando alij  
 multa fortiter fecerunt. Forte eques accepto uulnere de pugna eductus, ut sci-  
 licet adhibitis remedijs sanari posset: desperata salute protinus de tabernacu-  
 lo exiuit, nondum enim uis malè uitalia occupauerat, in acie constitutus, ma-  
 gnâ tum iactando, tum etiam faciendo animam afflauit. At Decebalus cum  
 capta

Longini  
 mors.  
 Danubi<sup>9</sup> la-  
 pideo ponte  
 iunctus.  
 Pons ingenti  
 substructio-  
 ne.

Istri amnis  
 natura.

Traiani ani-  
 m<sup>9</sup> ingens.

Romanorũ  
 potentia.

Adrianus  
 pontẽ demo-  
 litus est.

Decebali  
 mors

capta regia, uicina omnis regio in potestatem Romani populi uenisset, usque ad captiuitatem periclitatus, mortem sibi consciiuit: cuius caput deinde Romanam delatum fuit. Ita Datia iuris & ditionis Romanæ facta est. Quam mox Traianus in prouinciã redegit: urbes condidit, & colonos deduxit. Regios uero thesauros, quos Decebalus subter uada Sargetiæ amnis, haud procul à regia occultaerat, inuenit. Fluuium forte rex, captiuorum duntaxat manibus & opera, de proprio cursu auerterat, atque effossis subinde uadis, in specu magnam uim auri & argenti occuluit, præciosissima quæque & eos liquores qui recondi & reseruari poterant eodem congerens. Quibus confectis, ne quispiam quæ gessisset proloqui posset, omnes qui facti conscij erant, occidi iussit. At Biculis captiuus, cui res cognita erat, abditos thesauros indicauit. Per idem tempus Palmas Syriæ præfectus, eam Arabiæ partem, quæ ad petram uergit, edomuit. Traianum Romam repentem, plurimæ Barbararum gentium legationes, atque etiam Indorum legati adiere. Spectacula magna per centum & uiginti dies Romæ ædificata sunt. Iugulata sunt aliquando mille, interim decem milia bestiarum, partim feræ, partim mansuetæ: & innumerabiles gladiatores decertarunt. Per eadem tempora in Pontinis paludibus uia saxo constrata est, secundum quam domus ædificatæ sunt. Pontes præterea magnifice structi, improbi atque adulterini nummi conflati sunt. Suræ Licinio qui tunc decesserat, & sepulchrum fieri & statuam dari de publico mandauit. Eo diuitiarum atque potentia Suras processerat, ut gymnasium Romano populo suis impensis sustruxerit. Incredibilis fides & suprema amicitia inter utrumque intercesserat. Forte insidiarum aduersus imperatorem Suras accusabatur, & muli subinde instare, remque urgere. tunc Traianus uel inuocatus in domum illius cenaturus accessit, demissisque stipatoribus atque satellitibus, medico Suræ oculos inspiciendos, denique accersito illius tonsore, mentum radendum commisit, Vtrumque enim ex uetere instituto tum Romani ciues, tum cæteri imperatores præter unum Adrianum facere soliti erant. Hic primus Cæsarum barbam nutrire cepit. post hæc Traianus lotus accubuit, atque postridie ad eos conuersus qui Suram insimulare non cessabant, Ecquid, inquit, si uim mihi parabat Suras, ut dicitis, cur heri me non occidit? Per multa sanè Traianus & fecit & tentauit, periclitandi hominis gratia. & quàmuis sapius illum quidam accusarent, nunquàm tamen induci potuit, ut quicquàm ab eo metueret. Quin etiam cum tribunatum militum ei traderet, parazonium quo pro dignitate accingendus erat, nudum ei porrexit. At talis, inquit, enssem accipe, quem pro me ita demum strinxeris, si iuste imperaero: quod si perperam quicquàm per me fieri cognoueris, eo in perniciem meam utaris uelim.

**Celsus.** Statuas etiam & imagines Sosiæ, Palmæ & Celso constituit, quos uiros præ cæteris coluit, & summo in honore habuit. Et si qui aduersus coniu-rassent, eos cognitione Senatui delegata, puniri uoluit. Inter reos & Cras-

Sargetia fluuius.

Indorum legatio ad Traianum.

Via in Pontinis paludibus. Licinius Suras. Suræ opes.

Barbam Romani tondebant.

Parazoniū tribunatus insigne.

Sosiæ. Palmas.

Spectacula C. XX. die rum:

Celsus.

Bibliothecas extruxit. *Bibliothecas extruxit.* sus nominatus erat. Bibliothecas extruxit, & in foro ingentem columnam statuit, siue ut ea pro sepulchro esset, siue in ostentationem eius operis quod ille circa forum egit. Cluius surgebat, quæ effossa quoquo uersus terra, ita complanauit, ut undique columna conspiceretur: forūque deinde in aræ modum æquatam mansit. Post hæc Armenijs atque Parthis bellum inferre statuit, hunc prætextum belli faciens, quod Armeniorum rex, diadema & cætera regni insignia atque iura, non ab se, sed à Parthorum rege uelut illi obnoxius sumpisset. Re autem uera cupidine magis gloriæ impulsus est. Nanque simulac Parthorum & Armeniorum fines ingressus est, regionis satrapæ ipsiq; mox reges, cum muneribus ei occurrerunt, equūque duxere ita edoctum ut regem adoraret, nam pedes anteriores in morem supplicantis flexit, caputque pedibus qui proximus esset subiecit. Traianus cum ferè uicina omnia sine armis & certamine subegisset, in Satala & Elegiam, Armeniæ sunt oppida, protinus transiit. Heniochorum regem prosequutus honore est. Parthamaspirem qui in Armenijs regnabat, grauiter multauit. Ita omni potitus Armenia, reges qui sponte deditioem fecissent, aut in fidem uenissent: hos ut amicos benigne habuit: qui uero contumaces obsequium abnuissent, parerèque recusassent, eos omnes paruo negotio subegit. Tum in honorè eius multa senatus decreuit, atque illud in primis, ut Optimus appellaretur. Pedibus ferè ingrediebatur cum milites per omne iter instructi & parati erant. ordines nunquam eodem modo ductare atque interim aliter quàm suetus esset, instruere. Quoties flumina transeunda haberet, ipse auidus, pedibus sicut miles traiecit. Rumores de hoste falsos, plerunque dissipabat, etiam aduersus ea quæ speculatores exposuissent. Ita milites quæ imperasset diligentius exequabantur, & ad omnia belli momenta parati & intrepidi erant. Nisibi & Bactris mox potitus, Parthicus appellatur. Nihil tamen eum magis quàm cognomen Optimi iuuit, utpote moribus & mansuetudini eius maxime conueniens. Armarum etiam & belli, huiusmodi appellatio propria uidebatur. Dum uero Antiochiæ Traianus ageret, atrox & funestus motus terræ accidit, uicinis urbibus atque populis cladem etiam afferens: quanquam ipsa Antiochia insigni ac publica strage uastata fuit. Hyemabat in ea forte Traianus, atque illic milites frequenter & priuati complures conuenerant: alij præterea ut iura acciperent, quosdam legationis officium, merces, & priuata compendia traxerant: quàm plurimi uisendi imperatoris & spectandorum ludorum gratia confluxerant. Ita uix ulla natio aut ciuitas à detrimento & clade immunis extitit, ut planè uniuersus terrarum orbis & populi qui Romano parebant imperio, calamitatem ingentem acceperint. Motum terræ fulmina primum antecesserunt, tum uenti insoliti atque peregrini uehementius spirauere: quibus monstris atque prodigijs, & si grauia & horrenda uidebantur, nemo tamen quæ mala secuta extimuit. Tum magno & repentino, oborto fragore maria

Parthamaspirem.

Nisibi, Bactra.

maria

maria feruescere, fluctus intumescere, adhuc æstus uehementius & uiolentius insurgere, terra omnis succuti, domus ædificia contrario ictu quassari, dissilire alia & superne assultantia tecta concidere: crepitus audiebatur ingens & horribilis. Mœnia contrario pulsu, modo huc, modo illuc nutantia, confringi & ruerent. Mare ipsum turbine contorquebatur: terra autem ubi ædificia non erant, maximo compulsa motu assultabat. Tetra omnia erant: simul contrita ligna, collisa uasa fictilia, & saxa aceruatim magno cum stridore proruebant. Puluis densus atque concretus excitari: tantæque obducta caligo cuncta oppresserat, ut alterum uidere, alloqui, & audire minime cuiquam, imo spirare quidem ingruente uento ac puluere liceret. Multi mortales extra domos uitæ periculum adiere, præcipientes tectis erumpebant, & uelut agmine fugientes in acruos cogebantur. Qui omnes ceu à præcipiti loco deiectione, elisi sunt. Non pauci adhuc mutilato corpore abiere. Arbores radicitus conuulsæ procubuerunt. ingentem turbam prostrata tecta & subuersi muri obruere. primo impetu densi alii super alium incidentes extinguebantur. Si qui uero lacero corpore aut lapide uel ligno conuerberati cessissent, hi profecto omnium miserrimi erant: utpote quibus aut uiuere, aut subito mori negaretur. Non simplex fuit dades: si quidem de tanto mortalium numero uix sine noxa unus & alter euasit. Videre erat hunc fracto humero, illum amissis brachijs fugere: complures capite adempto iacebant, quidam eliso pectore sanguinem euomebant: inter quos Pedito Consul, qui tamen haud ita multo post animam emisit. Atque ut semel omnia completar, nullum non calamitatis & miseræ genus mortales illi sustinere. Sed diutius noctu & interdium id agente fato, terra contremuit. Tunc uitæ dubij & pauore consternati, miseri, tanto malo remedium aut effugium inuenire non poterant. Oblati tectorum casu, passim moriebantur. Et quanquam fornices & concamerata atque uacua loca, pro ut casus adegerat, tum peristilia penilesque hori, intercedente ligno à morte quosdam seruassent: hi tamen omnes durate motu, fame, & inedia priusquam opem quisquam ferre posset confecti fuere. Desinente tremore quidam ruinas ascenderunt. Tunc mulieris uox, & infantis uagitus auditus est. Matrem & filium ruinæ oppresserat: mirandumque fuit quo pacto alendo puero lac sufficere potuerit. Sed mater & filius terra incolumes educti sunt. Dum uero accuratius protrita cadauera & collapsas domos rimaretur, alter infans inuentus est, qui matris mortuæ ubera adhuc sugeret. Omnibus autem qui ab excidio & dade superfuerunt, salus ingrata, & uita molesta extitit, cum luctuosum urbis casum, totque obrutos mortales cernerent. Hac communi & miseranda populorum strage, miserrima & infelicissima tunc Antiochia afflictata fuit. Traianus uero à tam foedo diroque periculo, per fenestram domus quam inhabitabat uix ablatu est. Accedens forte quidam humana maior effigie, illum inter exiguos tectorum lapsus incolumem subtraxit. Sed tanta deinceps Cæsaris formido tenuit, ut cum iam aliquot dies tremor quieuisset, in Hippodromo sub diuo & in publicis tabernaculis uitam ageret. Mons ite Casius ita concussus est, ut nutante cacumine quasi

Terramoto /  
tus artificiosus /  
sa descriptio.

Pedito Consul.

Pathetica narratio.

Traianus a dijs seruatus.

Casius mons.

quali



quasi conuulsus in subiectas urbes labi existimaretur. sub sedere & alij montes. quin etiam aquarum fontes non ante uisi emicuerunt. Fluuij quoque defecerunt. Caterum Traianus appetente iam uere, hostilem terram aggreditur: sed regio qua Euphratem attingit, neque ligna, neque ceteram materiam fabricandis idoneam nauibus ferebat. Quare nauigia in nemore circa Nisibim aedificata: ea plaustris imposita, in fluuium transportari iussit. Sic enim compacta erant, ut soluta denuo, coniungi possent. Ergo cum iuxta Cardynon montem fluuium difficulter ponte iunxisset, Barbari continuo occurrere, totisq; uiribus transitu prohibere conati sunt. Sed Traiano naues & milites supererant. Tunc alias subito conuehi & contabulari iussit. antecedeabant aliae sagittarijs oppletae, quas ita remis inhiebat, ne statim in aduersam ripam procurerent: sed uagantes, modo hanc, modo illam riparum partem petere simulabant. Perculsi, & quodammodo attoniti Barbari, unde tanta nauium uis ex ea terra qua at bores non fert coiuisset, ripa fluminis continuo cessere. Ita superato amne, Romana uniuersam Adiabenorum gentem subigunt. Arbela, deinde Gaugamela Traianus cepit: in quorum campis olim Alexander debellauit Darium, oppida sunt haec Assyriae, quam Barbari s littera in t mutata Attyriam uocant. Post, Babylonem ire pergit, cui admodum pauci per uastam solitudinem intercessere. Iam pridem Parthorum uires & opes, ciuilibus armis, tum etiam nouo & domestico dissidio attritaerant. Lacum bituminis ex itinere Traianus spectare & uisere uoluit, ex quo muri Babylonis aedificati fuere: cuius ea uis est ut lateribus aut exiguis lapidibus interlitum, saxo aut quouis ferro muros solidiores & firmiores faciat. Os praeterea antri ex quo grauis & pestilens halitus redditur, inuisit, quem neque terrestria animalia, nec caeli uolucres pati possunt. Namq; si supra deuolauerint, siue propius oberrauerint, olfactu ipso statim exanimis concidunt. quare incultus locus & a seipso circumscriptus ac desertus manet. Simile specum aliquando Hierapoli qua ciuitas est Asiae uidi. Eade pestiferi spiritus uis in auib; cognita fuit, atq; desuper incubui, ut quicquid infra esset despicerem. Cisterna undiq; circumsepta stat, quam super, theatrum constructum est, spirat aura omnibus animantibus noxia. Interiuntque cuncta protinus qua halitum olfactumue hauserunt. Hi duntaxat impune pestifera alioqui spiramenta hauriunt, quibus genitalia excisa sunt. Causa facti incomperta mihi adhuc est, quanquam diligentissime perscrutatus de ea fuerim. Id autem scribo & trado quod uidi, & qua audiui ut audiui. Traianus interea fossam educere aggressus est, per quam Euphratem in Tygrim deriuaret. Simul etiam ut nauigia faciendo ponti deucheret. Sed ubi Euphratis alueum Tygri multo excellentiorem esse comperit, ab incepto destitit, ueritus uidelicet ne Euphrates conuerso in decliuorem partem fluxu, extenuaretur. Satius igitur duxit plaustris impositas naues, per id terrae qua exigua interiacebat, in Tygrim transmittere. Pontem itaque fecit qua Euphrates in paludes emissus, Tygri missectur, Protinusque Ctesiphonta inuadit: quam mox recepit. Imperatoris tunc Parthici cognomen, quod ante ei tributum fuerat, confirmauit senatus.

Praeterea

Nauigia in Euphrate.

Cardynus mons. Euphrates pote iunctus.

Adiabeni superati. Alex. ubi Dariu uicit.

Babylon. Parthorum regia. Bitumen.

Antrum pestiferum.

Hierapolis Asiae ciuitas.

Eunuchorum uis in natura.

Euphrates. Tygris.

Nauigia plaustris aduecta.

Parthici nomen de Traiano.

Babylonis moenia.

Præterea dies festos, supplicationes & triumphos, prout illi agere libuisset, decreuit. Recepta Ctesiphonte, rubrum dehinc mare nauigare instituit. Sinus hic ex Oceano Indico in Arabiam profunditur, quem Erithreum mare, ab Erithreo rege qui illud tenuit posteri appellauere. Tygris insulam facit, in qua per ea tempora regnabat Athabilus. Eam igitur sine certamine Traianus in potestatem redegit. In his tamen locis tum Hyemis & fluuij rapido cursu, tum aestu maris periclitatus est. Agger erat & uallum quod Spasinum incolæ uocant. à quibus, & si Athabilo parerent, benigne & pacatis animis Traianus susceptus fuit. Inde ad Oceanum usque progressus, cognita maris natura, nauesque conspicatus, Vtinam, inquit, iuuenis essem & uires atque robur suppeterent, profecto enim in fines Indorum penetrarem. Tunc de India multa cognouit, deque gentis uictu atq; uestitu paulo curiosius sciscitatus est. Alexandrum felicem dixit. Iactabat subinde se ultra quam ille penetrasset, progressurum. id quod senatui per epistolam significauit, subiungens ægre posse eas gentes quas deuicisset in fide & officio continere, aut à ui & iniuria defendere. quanquam non cessaret quotidie orientis populos armis agitare & debellare. Nomina præterea uictorum à se gentium senatui nunciauit: quarum numerus tantus erat, ut uix referri aut nominari possent. Triumphalis tunc arcus, præter alia multa quæ in honorem eius & decreta & facta fuerant, in illius foro sustructus est. Iamque ita ciues se ornabant, ut illi in patriam reuertenti, lati & plaudentes occurrerent. Sed languescente corpore, deficientibusq; uiribus, neq; Romam redire, neq; quicquam superiore uita & rebus ante gestis dignum efficere ualuit. Imo uero præ tædio bellorum & magnitudine curarum, coactus, aliqua ex parte gentes quas subegisset, liberarum facere. Nam dum & oceanum nauigat, indeq; remeat, populi ferè omnes qui ad deditiōem compulsi fuerant, facile descuere. Romana em præsidia quæ fines tuebantur, & quorum metu uel inuiti in officio perseuerabant, partim eiecere, partim interfecere. Hæc Traianus cum adhuc per oceanum nauigaret, cognouit. Transiuerat eò rerum & locorum fama, & si nihil quod opinioni aut sermone responderet, inuenerit, præter aggeres atq; ruinas, ex quibus scriptores fabulosa multa cõmenti fuerant. Alexandro autem, cuius æmulatione rubrum mare & oceanum nauigauerat, in ea domo parentauit in qua expirasse ferebatur. Cæterum audita populorum rebellionem, Maximum & Lucium in eos populos cum exercitu misit, qui defecerunt. Sed alter acie uictus occubuit. Lucius uero cum multa prospere egisset, acceptaq; damna emendasset, Nisibim recepit, Edeffam obsidione & ui captam diripuit, igniq; funditus absumpsit. Duo legati interea Euritius & Clarius Seleuciam expugnant, atque uicina urbi concremarunt. Interea Traianus nouarum rerum anxius, Parthis qui iam ad defectionem spectantes imperia detrectabant, Regem dare constituit, propiusq; Ctesiphonta profectus, in patentes campos Romanos simul & Parthos in concionem uocat, atq; ex suggestu multa præfatus super ijs quæ egisset, Parthenaspatem regem Parthis diademate imposito designat: mox Arabiam petijt Agarenosq; rebellantes adortus est. Erat illorū ciuitas parua neq; admodum copiosa

Mare rubrum.  
Erithreum mare curæ Athabilus rex.

Spasinum.

Alex. Traiani iudicio felix.  
Traianus gloriabundus.

Arcus triumphalis, Traiano extructus.

Traianus animi despondet.

Traiani expeditiones.

Maximus & Lucius Traiani legati.

Edeffa capta & incensa.

Parthia Traiano donata.

Ctesiphon Agarenorū regio.

copiosa. Vicina omnis regio sterilis & deserta, propter aquae penuriam manebat: & si quid liquoris ex ea terra scatet, minime potui gratus habetur. Pabuli indiga, ligna non fert, quare eam multitudine militum obsideri aut expugnari non facile erat. defendebatur ardore Solis cui exposita est. Ergo neque Traianus in praesens, neque postea Seuerus, Agarenos expugnare potuerunt. Muri parte subruta stabant. Equites proxime moenia aduecti sunt, qui graui detrimento affecti, in castra continuo rediere. Ipse etiam Traianus urbi sine regio ornato oberans, ut hostem falleret, uulneratus penè fuit. Generosa canities & oris maiestas, principem prodidit, & quis foret in eumentito habitu facile ostendebat. In eum igitur quem regem suspicati erant, sagittas frequentis coniecere, quarum tanta fuerit uis, ut qui pone Caesarem sequebatur transfusus fuerit. Prodigia inibi multa facta sunt, tonitrua, atque fulgetra, arcus ingens in caelo uisus: tempestas & grandines immensae. Praeterea (quod monstro simile existimatum est) quoties Romanus cum hoste manus confereret, ictu fulminis auerterebatur. Orta subito muscarum uis, edulij & poculis insidens, saedo contactu cuncta Romano graui & molesta faciebat. Digrediens itaque inde Traianus, morbo primum tentatur. Per quod sane tempus Iudaei, qui circa Cyrenem incolebant, Andrea duce constituto, Romanos & Graecos sine discrimine statim obruncant. Nec caede contenti, humanis carnibus uesci coepere. Horum intestinis stillante adhuc sanguine cincti, tum pellibus obuoluti, multos per medium, usque ad uerticem dissecuerunt. plures bestiis dilaniandos obiecerunt, alios inter se digladiari coegerunt: ut ducenta & amplius hominum milia eò furore & armis Iudaeorum, interierint. Ingens item caedes ab eisdem in Aegypto patrata fuit. Nec minore clade Cyprii affecti fuere. Siquidem in ea insula, duce Artemione, conspirantes Iudaei, circiter ducenta & quadraginta capitum milia trucidarunt. Qua facti atrocitate, Iudaeus de caetero legibus & poenis Cyprum attingere prohibetur. Si uel ui tepestatis, uel per errorem illuc delatus fuerit, ceu capite damnatus, statim morte mulsetur. Sed inulta clades non mansit. Nam Traianus misso cum exercitu Lucio, tum antecedentibus alijs ducibus, Iudaeos qui per uniuersum ferè terrarum orbem tantum caedis ediderant, profligauit. Inter haec expeditionem in Mesopotamiam parabat, à qua ingrauescente morbo deterritus est. Quare Publio Aelio Adriano in Syria cum legionibus relicto, ipse in Italiam nauigare coepit. Frustra multa tunc Romani tentauerunt, dum Armeniae, & Mesopotamiae, necnon Parthorum potiri student, pericula quoque in irritum. Nam Parthi repudiato Parthensate, quem indignum regno existimabant, ipsi res suas prisco gentis instituto administrare coeperunt. Sed Traianum grauior morbus oppressit. Venenum sibi datum suspicatus est, aiebant quidam compresso sanguine, qui statis diebus per inferiorem partem profluere solitus erat, contractam aegritudinem fuisse, stupore ita membra resoluta sunt, ut pars corporis defecta sensu aliquando manserit. Mox intercute aqua repletus apud Selinuntam Ciliciae urbem, quae deinde Traiani ciuitas cognominata est, defertur. Ibi quoque statim extinctus est, cum imperasset annos undeuiginti, Menses sex, & dies quindecim.

Dionis

Seuerus imperator.

Maiestas in principe late re non potest.

Prodigia.

Muscarum in genus uis.

Iudaei rebelant, Iudaeorum crudelitas.

Iudaeorum furor.

Cyprii Iudaeis inaccessa.

Iudaeorum clades.

Aelius Adrianus qui post Imperator fuit.

Traiani mors suspecta.